SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino

JOANNE BAPTISTA


MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

B U S S I

A R C H I E P I S C O P O.

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem
die 24. Augusti 1825.



BENEVENTI MDCCCXXV.

Apud Gregorium Paternò Typographum Cameralem.

Digitized by Google

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANAE ECCLESIAE BENEVENTANAE

ARCHIEPISCOPUS.

Decretum de Synodi aperitione

In Nomine Sanctissimae, et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Temporis diuturnitate, et haereseon foedissima propagatione concussis, alicubi etiam oblivione pene obrutis Apostolicis traditionibus, omnino cogenda fuere Concilia, tum ut fidei auctoritatem vehementer labefactatam, tum ut disciplinae castimoniam nova errorum colluvione foedatam Ecclesiarum Moderatores restituerent, aut firmarent. Hinc frequentes illi Episcoporum, inferiorumque etiam Clericorum ad Synodos tam generales, quam particulares conventus, quos passim Ecclesiastica commendat historia: eorum utilitate experientia comperta, ordinem, ac modum praescripsere Sacri Canones, et novissime per Tridentinos PP. de Synodis Dioecesanis sancitum est, ut eae quotannis celebrarentur ab Episcopis „ ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, ... accedere teneantur „. Singulari Praedecessorum Nostrorum providentia antiquitus institutum accepimus, semperque religiose servatum, bis in singulos annos

Clerum hic convenire ad Synodum Diaecesanam, die nempe 24. Augusti, et 26. Octobris. Periodicae huic methodo, qua Beneventana Ecclesia ex primitiva institutione laudabiliter semper est usa, nec derogatum, nec imminutum esse arbitrati sumus, si anno superiori, ob temporis brevitatem veterem usum servare impediti fuerimus: quin imo praesentes exposcunt universales calamitates, ut nil relinquamus intentatum, quod ad primaevae puritatem institutionis robur hoc disciplinae Ecclesiasticae accuratius valeat revocare.

Omnibus sane perspectum, quousque perditorum hominum conatus processerint, ut offusis quaqueversus partim ignorantiae, partim nequitiae tenebris, morum nitore tanta pars gloriae in Ecclesia prorsus extinqueretur, cum ad labefactandum Sanctissimae Religionis Dogma impares sibi vires agnovissent. Quamobrem maxime interest ordines; super quos velut illa quiescit nunc prae caeteris solidare; ut septis undique veritatibus revelatis, et incredulitati aditu praecluso, prae oculis fidelium, Deo adjuvante, easdem puras, et immaculatas ponere valeamus, prout Caelestis Sponsus custodiendas credidit Ecclesiae; simulque impedire, quominus inimicus homo, audeat deinceps eas inficere, zizanium spargens in vinea Domini electa.

Collecto igitur universo Clero, prout moris est, primam Nostram Dioecesanam Synodum, quam hodie celebrandam de more decrevimus, hac ipsa die 24. Augusti 1825. ad Omnipotentis Dei, et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae semper Virginis Mariae, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomaei, SS. Pontificum nostrorum Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Philippi Nerii Confessorum, caeterorumque hujus nostrae Civitatis, et Dioecesis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, et laudem apertam esse, atque inceptam volumus, decernimus, et promulgamus.

TITULUS PRIMUS

De confirmatione praecedentium Synodalium Constitutionum.

Alias per Praedecessores Nostros editas Synodales Constitutiones, quae, licet ad bonum Dioecesis regimen aptissimae, ab usu recesserunt, nostrae aetati magis consentaneas seligere, et summatim perstrictas hac in prima Synodo iterum promulgare in animo statueramus. Ast temporis brevitate, et alibi gravioribus, ac urgentioribus curis distenti ad aptiorem occasionem opus remisimus, satis modo habentes praeter integram Synodum cl. mem. Cardinalis Banditi anni 1777., pauca speciatim ad pristinam revocare observantiam: Caetera vero in universum confirmamus, eisque perpetuum firmitatis robur adjicimus, et ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari mandamus sub poenis in illis statutis, et comminatis.

TITULUS SECUNDUS

De lectione Sacrae Scripturae.

Ignorantia mater cunctorum errorum maxime vitanda est in Sacerdotibus Christi; queis idcirco studium Sacrarum Scripturarum recte fungendi suo ministerio quemadmodum non mediocrem affert utilitatem, ita earum lectioni ut assidue vacent, et ante Missae celebrationem unum saltem Capitulum flexis genibus quotidie perlegant, paterna charitate monemus.

Cum autem diebus festivis libri Sacrae Scripturae explanentur in Metropolitana Ecclesia, facili methodo, et ad Clerum maxime juniorem in Coelestibus erudiendum doctrinis accommodata; ne ea, quae Clericorum institutioni in scientiis sanctorum conducunt, quod ad

Nos praetermisisse videamur, quod alias super hoc dispositum fuit a f. r. Benedicti XIII. in prima Dioecesana Synodo hic habita sub eadem die 24. augusti anno 1686. renovamus, et idipsum sub iisdem poenis observari mandamus; videlicet quatenus Clerici cujuscumque dignitatis, et gradus chori servitio addicti, lectioni non assistant, pro illa die punctentur ac si choro non interfuissent; dummodo vero alia poena a particularibus Ecclesiarum constitutionibus statuta non fuerit. Confessarii autem, qui eidem lectioni praesentes non fuerint, a confessionibus audiendis suspendentur; simplices Presbyteri ad beneficia ecclesiastica non admittentur; Clerici demum ab ordinibus arcebuntur. Reservamus vero arbitrio Nostro majorem poenam crescente contumacia. Qua de causa catalogus dierum, quibus eae S. Scripturae lectiones habebuntur, publici juris fiet, et probatus Vir seligetur, qui universorum diligentiam, vel negligentiam adnumeret, nobisque istorum nomina tradat.

TITULUS TERTIUS

De Sacramento Pœnitentiæ.

Secunda post Naufragium tabula a Tridentina Synodo nuncupatur Sanctum Poenitentiae Sacramentum, quod idcirco nisi rite, recteque sive protervia, sive Administrantium ignorantia conferatur, haud aliter e periculo aeternae mortis eripi queunt fidelium Animae. Cum autem ubi maxime res Christiana periclitatur ibi augenda sit diligentia, accuratius vigilare debemus, ut sanctitate, prudentia, et doctrina quantum fieri potest ornati dumtaxat viri in Confessarios eligantur. Quare cupientes modo incommodis, quae inexperientia, et aetatis fragilitate quandoque in administratione ejusdem Sacramenti eveniunt, medelam aliquam praebere; Volumus in posterum, ut nullus Sacerdos ad Confessiones

reddatur idoneus, nisi pro masculis trigesimum, et pro foeminis quartum supra trigesimum aetatis annum saltem incohaverit. Ex approbatis vero Confessarii, qui dictam aetatem nondum attigerint, quatenus post duos menses a data praesentis iterum adprobati non fuerint, a Confessionibus audiendis sive unius, sive utriusque sexus suspensos, ac inhabiles se esse sciant, prout declaramus.

Tabellam Casuum nobis reservatorum eamdem confirmamus, quae usu jam recepta servatur in Dioecesi, et typis edi fecimus. Tantum adjicimus in tertia Tabula sequentem Casum „ *Devastatio, seu combustio Vinearum, Agrorum, et Paleariorum, Arborumque cæsio, ac Animalium occisio ex odio, seu inimicitia, vel alio animo pravo effecta*.

TITULUS QUARTUS

De Sacra Ordinatione.

Quamquam praeclare nimis a Decessoribus Nostris quid ad primam Tonsuram, ordinesque rite conferendos, et suscipiendos requireretur, dispositum fuerit, et supervacaneum fuisset quidquam hic addere, vel imminuere, quatenus eorum laudabiles institutiones, in sua integritate adhuc permansissent; attamen, quemadmodum humanis evenire solet, ita eas abusibus vitiatas reperivimus, ut pristini moris accuratam observantiam in Sacris Ordinationibus duximus revocare. Melius sane perpendentes „ *Domini Sacerdotium*. (ut inq. Canon. tales dist. 23.,) *paucos habere Ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant*., animo commoti non sumus, si in posterum perpauci ad Sacros ordines confluant: qua super re negligentius etiam habemus difficilius a Supremo Judice remitti, prout Divus Petrus Sanctum Leonem Magnum alloquutus fertur, his

verbis „ *Oravi pro te , et dimissa sunt tibi omnia peccata tua , prœterquam impositionis manuum . Hoc enim solum abs te requiretur , sive bene , sive fortassis aliter id egeris .* „ Quamobrem Regulas, seu requisita ad Ordines suscipiendos die 16. Februarii currentis anni typis edi mandavimus ; quae ut plenius suum sortiantur effectum, in hac Synodo inseri jubemus , ac legis Dioecesanae vigorem habere.

TITULUS QUINTUS

De Inventariis , et Hypothecis .

Sicut divino , humanoque jure ad substentationem Ministrorum necessarium est Ecclesiae , bona temporalia possidere , ita illorum administrationem habentes , sive Beneficiati , vel quocumque alio nomine appellentur non solum possunt , sed omnino curare debent , ut ab injusta occupatione ea tueantur , nec amittantur alia quacumque ex causa . Ad eadem tuenda bona Sixtus Papa V. f. r. constitutionem edidit incip. *Provida* , qua omnibus Curata , et simplicia beneficia obtinentibus Capitulis , Canonicis , et piorum locorum , et Confraternitatum administratoribus mandavit , ut omnium jurium , annuorum censuum , bonorum mobilium, ac immobilium et caeterorum hujusmodi inventaria conficerent . Eandem legem super inventariis conficiendis tametsi observari in hac Dioecesi jusserint Praedecessores Nostri tum Benedictus XIII. in sua prima Synodo cap. II. , tradita formula relata in Appendice ejusdem Synodi , tum Card. Banditi in Synodo anni 1780. ; tamen ratione partim diuturnitatis temporis , partim vicissitudinum , quas passa sunt Ecclesiarum bona , utile nimis , imo necessarium ducimus in praesens constitutionem de inventariis conficiendis hic renovare : Atque ideo praecipimus , ut omnes Curata , et simplicia beneficia habentes , Capitula , Canonici , et piorum locorum , et

Digitized by Google

Confraternitatum administratores, quae circa Inventaria bonorum Ecclesiasticorum a laudatis Praedecessoribus Nostris sancita sunt, denuo observent, ac executioni mandent intra sex menses a data praesentis.

Ne vero ob non captas, vel renovatas inscriptiones in Officio nuncupato Hypothecae, negligentia eorum, quibus res, et jura Ecclesiae defendere incumbit, beneficia, sive caetera loca pia ullam jacturam patiantur, omnes item curata, et simplicia beneficia obtinentes, aliosve ad quos pertinet, stricte jubemus intra tres menses a data pariter praesentis, Nobis, vel Personis ad hoc deputandis authentica acta exhiberi captae, seu renovatae inscriptionis hypothecariae omnium jurium, actionum, et aliorum hujusmodi juxta vigentes leges. Qui vero desidia, vel alia quacumque causa adhuc omiserint super praefata munus suum adimplere, intra dictum tempus omnino facere non praetermittant; declarantes autem idcirco iis non intelligi remissam damnorum refectionem, quovis modo Ecclesiae vel locis piis ratione dictae inscriptionis non captae, vel renovatae illatorum.

TITULUS SEXTUS

De Vita, et honestate Clericorum.

Quicumque in sortem Domini vocati sunt, humilitatem, modestiam, et cordis puritatem conversatione, habitu, et caeteris vitae operibus praeseferant. Segregati enim ii a statu Laicorum, et Ministerio altaris mancipati, ut ad Doctrinam, Sacramentorum administrationem, et ad morum formationem, sive reformationem incumbant, exemplum Christi, qui ipsa humilitas est, modestia, atque puritas, sectentur oportet; quas animi dotes si, conviviis, spectaculis, consuetudini cum saecularibus, maxime cum mulieribus, nimis indulgentes, avertant Clerici, seipsos, et quae contrectant,

adoranda Religionis Mysteria apud ignaros, et male moratos traducunt „ *Convivia* (Divus scribebat Hieronymus Nepotiano) *Convivia tibi vitanda sunt Saecularium, et maxime eorum, qui honoribus tument . . . . Quod si obtenderis, te facere hoec ut roges pro miseris, atque subjectis : judex saeculi plus deferet Clerico continenti, quam diviti, et magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes . . . . facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium ire non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius est enim magis dare, quam accipere.* „

Hortamur itaque, et illos praesertim, qui inferioribus exemplo praeire debent, in Domino monemus, ut memores vocationis suae, tempus quod conviviis, soecularibus conventibus, publicisque spectaculis terunt, orationi, studio, et quae Virum Ecclesiasticum decent, sanctis conversationibus impendant.

Ferendum vero nullo modo censemus, Clericos cum iis mulieribus, quibus nulla sunt cognatione juncti, quandoque etiam male de honestate olentibus, si absque caelibatus detrimento, certe non sine proximo peccandi periculo, et aliorum scandalo, communem habere domum, nimiamque cum ii familiaritatem fovere. Aeternus quippe Pontifex, qui de Virgine natus est, et ipse Virgo, ac Virginalis hostia, aeternum immolari se voluit ab iis, qui tam castitatis suae, quam Sacerdotii participes forent; cum autem huic docendi, ac praedicandi etiam verbi divini munus injunctum sit, ut melioribus studiis liberius vacent Sacerdotes Novae Legis, a re uxoria sejuncti esse debent, velut iis, qui divina, et incorporea sobole propaganda occupati teneantur : et non unius, neque duorum, ut inquit Euseb. Caesar. Epis. (Demonstrat. Evang. l. 9. c. 9.) liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquae instituendae vitae curam susceperint. Quia vero caput est artis docere quod fit, et magis exemplo suadetur, quam verbis; hinc non

solum Clericorum est castitatem servare, sed causam removere periculi, et suspicionis incontinentiae, quae ex cohabitatione, et nimia consuetudine cum mulieribus non arcto consanguinitatis, vel affinitatis vinculo conjunctis frequenter suppeditantur. Devitent igitur Clerici hujusmodi mulierum familiaritatem: Volumus insuper, ut tam Capitulorum hujus Civitatis Individua; quam Vicarii Foranei, et omnes etiam Dioecesis curam animarum habentes, intra tres menses a data praesentis notulam mulierum, quae secum habitant, cum illarum nomine, aetate, et qualitate, deferant; iisque elapsis intra alium mensem facultatem a Nostra Curia obtineant easdem penes se retinendi: quibus vero id permissum non fuerit intra alium mensem dimittant. In posterum vero ex supradictis nemo famulatus, vel alius hujusmodi causa mulieres recipiat, nisi istarum nomen, qualitatem, et aetatem Curiam Nostram docuerit, et licentiam in scriptis obtinuerit. Contumaces suspensione a Divinis, donec non obtemperaverint, mulctentur.

Verum humilitatem, modestiam, atque puritatem, quam corde gerere debent Clerici, habitu religiosissime demonstrent, plusque velint fulgere sancta conversatione, eximiisque moribus, quam vestium ornatu. Si enim hujus saeculi delicatorum hominum, vestium nitore, phaleris equorum, caeterisque humanae vanitatis rebus, quae ad mundialem jactantiam pertinent non ad religiosam dignitatem, abusi fuerint, in nil eorum conversatio a Laicorum distare videbitur. Tametsi quampluribus aliis Synodalibus Constitutionibus, necnon Praedecessorum Nostrorum Edictis vestium ratio, quae Clericos decent, praescripta singillatim fuerit, paenis in contumaces indictis; tamen hominum pervicacitate, et injuria temporum eorum vis, et effectus maxime evanuerunt; Ne modo nostris sub oculis impune violentur praefatae leges, sub iisdem poenis, quae in illis praecipiuntur, volumus observari, donec nostro Edicto super habitu Clericorum aliter dispositum fuerit.

TITULUS SEPTIMUS

De Parochis .

Animarum curae Praepositi in omnibus laborent, ut ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos, ut ait *Trid. sess.* 6. *c.* 1. *de Refor.* mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a Supremo Judice requirendus, custodiae minime incumbant; cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedat, et Pastor nesciat. Quia nonnulli, dicamus cum Tridentino cit., hoc tempore reperiuntur, qui propriae salutis immemores, terrenaque caelestibus, ac divinis humana praeferentes in negotiorum temporalium sollicitudine occupati, sine legitima ratione, et si justa cum causa, absque Nostra tamen licentia, Paraeciam deserunt; cum Parochi nec possint per hebdomadam abesse, ut declaravit *Sac. Congr. Concilii die* 7. *Octobris anni* 1604. *relat. lib.* 10. *Decretor. pag.* 100., non petita, vel non obtenta licentia etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato; necessariis opus est remediis huic malo obviam ire. Primo quidem in memoriam revocamus Parochorum, nec esse liberum a culpa, et a poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium, *ut habet cit. S. Cong. resolutio*: ex urgenti admodum ad curandam suam valetudinem morbo gravi instante recessit, et ad hujusmodi absentiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit evidentiam causae satis esse, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam; Nec sufficere licentiam tacitam, sed oportet esse expressam: unde Fagnanus *in. Cap. rel. de Cler. non res. n.*52. concludit „ *nec posse*

Parochos etiam per duos menses, imo nec per hebdomadam abesse absque licentia Episcopi, quæ causa cognita, et in scriptis concedenda est „. Sed experientia compertum, non satis provideri malis sola boni demonstratione, nisi aptis poenis ii coerceantur, qui leges violant; hinc sub poena suspensionis ipso facto incurrenda omnes curam animarum habentes prohibemus, ne ultra tres dies parochiam suam deserant absque Nostrae Curiae licentia; quam justa urgente causa etiam concedi posse permittimus per hebdomadam a Vicariis foraneis, dummodo per idoneum substitutum curae animarum consultum sit, et certiorata quamprimum Curia Archiepiscopali. Volumus item, ut Parochi libros Parochiales habeant eo numero, et ita dispositos quemadmodum praescripsit s. m. Cardinalis Ursini, postea Benedictus XIII. suo Edicto relato in prima Synodo Dioecesana anni 1686. Si qui deficiant, intra tres menses conficiantur. Ne vero fraudetur hujus dispositionis effectus, injungimus iisdem Parochis, ut notulam librorum parochialium, quos habent, non ultra quindecim dies post dictum tempus elapsum ad Nos transmittant. Transgressores paena suspensionis mulctentur.

TITULUS ULTIMUS

De iis, quæ ad universas Constitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus, ut suam quisque obligationem agnoscat precipue Canonici, et alii de Nostro Capitulo, vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parochi, et Archipresbyteri, et beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo quod ad vitam, et honestatem Clericorum attinet infra mensem, postquam impressa fuerit

haec Nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio Nostro infligenda. Licet non poenae formidine sed virtutis amore praedicta omnia observatum iri speremus.

FINIS

CATALOGUS
JUDICUM, ET EXAMINATORUM SYNODALIUM

Ab Eminentissimo Archiepiscopo

PRO DIOECESIS AMPLITUDINE ELECTORUM,

ET

AB UNIVERSA SYNODO RECEPTORUM: PROUT IN ACTIS.

JUDICES SYNODALES

Reverendissimus Dominus Thaddœus Garzilli U. J. D. Salernitanæ Diœcesis, Protonotarius Apostolicus, et Eminentissimi Archiep. Vic. Gen.

Perillustris et admod. Rev. Dom. Franciscus Ab-Aquila U. J. D. Archidiaconus, et omnes alii Canonici S. Metropolitanæ Ecclesiæ U. J. Doctores.

EXAMINATORES SYNODALES

Ex Clero Saeculari Urbano

Rmus D. Thaddœus Garzilli U. J. D. Diœcesis Salernitanæ, Protonotarius Apostolicus, et Emi Archiep. Vic. Gen.

Rmus P. Januarius Cutinelli S. Theologiæ Magister Clericus Reg. Soc. Jesu, ac Emi Archiep. Theologus.

Rmus Dom. Joannes Pellei U. J. D. Altodunensis Ecclesiæ Cathed. Canonicus, et Emi Archiep. Auditor Gen.

Perillustris, et admodum Rev. D. Franciscus ab Aquila U. J. D. Archidiaconus cum cœteris in ultima Synodo Archiep. Predecessoris electis.

Insuper illustris, et admodum Rev. D. Octavius Canonicus Parisio.

Illustris, et admodum Rev. Dom. Paschalis Canonicus Ventura.

Reverendi Domini

Joseph d' Aversa Can. S. Bartholomæi.

Aloysius Grippa Can. S. Spiritus.

Reverendi Presbyteri

Nicolaus Collarile Can. Rector S. Mariæ Constantinop.

Angelus Marotti Parroch. Ecclesiæ S. Angeli Portæ Summæ Rector.

Venerabiles Presbyteri

Vitalis Corbucci Domus S. Missionis sub titulo Prætiosissimi Sanguinis Rector.

Antonius Mosti.

Ex Clero Regulari Urbano

Admodum Rev. Patres

Pater Idelfonsus da Vignoli Provincialis Minorum Reformatorum S. Paschalis.

P. Dominicus Sordi Rector Collegii Cler. S. Jesu.

P. Ferdinandus d' Arnò Scholarum Piarum Rector.

Ex Clero Sæculari Foraneo

Multum Rev. Domini

Sylvanus Chiancone Abbas Colleg. M. Calvi.

Vincentius de-Napoli Can. Collegii Clusani.
Vincentius Rocco Archipr. Quercus Majoris.
Dominicus Antonius Sagliocca Archipr. Petre-Elcinæ.
Joseph Capozzi Rector Eccl. S. Marci Evang. Terræ Murconi.
Venerabilis Presbyter Franciscus Xaverius Capone Terræ Montis Falcioni.

Joannes Baptista Cardinalis Archiepiscopus.





Thesaur. Onuphrius Parziale Synodi Secr.

VAL 1528108

Digitized by Google